

Passa si perstrinxero, qualitasque ledit
Ysmahelis filios; hec, qui sapit, credit.

Christianos funditus volens extirpare
205 Sitit generaliter Machmet¹ iugulare,
Contra manus omnium dire disceptare
Nititur, nec aliud quam tartarizare
Querit, et precipiter nos exterminare.
Hinc hunc manus omnium debent obpugnare;
210 Deus enim verax est; quisquis sis, cunctare
Sciens, quod realius possem demonstrare

Ysmahalem Tartarum; sed ydemptitatur
Marcetque fastidio, narrans subsannatur.
Igitur fastidii nausium tollatur,
215 Tartari memoria terra deleatur!
Matris nam ecclesie patrem mens cunctatur,
Cuius in memoria mire tranquillatur
Remus hic; navicule Petri commodatur
Anchora, qua naufragi spes consolidatur.
220 Hic in mundi stadio bravium notatur,
In quo multi cursitant, unus sed dotatur.

Pater! caput exere! surge! fluitamus²;
Ad te asylum pauperes Hungari spiramus,
Nocuos industria nosmet clamitamus,
225 Tui patrocínio nos indignos damus,
Cordis innocenciam tuique signamus,
Nominis pro nomine quodque disputamus
Hoc indignum nomine mundum reputamus;
Innocenti! patere, pater, quod scribamus
230 Rudi stilo satyram, quam metrificamus;
Si dignatus iubeas, que vis hiis addamus.

Iam probantur plurimi cleri corrosores
Et, ut culpas adgravent, falsi proditores.
Quedam vera – proh dolor – ferunt hii censores,
235 In hec verba lubricum³ lingue solutores:

Cleri generositas probra cumulavit,
Derogat iusticie, sic degeneravit:
Vina, ludos, aleas⁴ clerus ructuavit;
Clero stat ebrietas, venus clero favit;

1) 'machinet' Hs. 2) Vgl. Marc. 4, 37 ff.; Math. 8, 23 ff.; Luc. 8, 22 ff. 3) Vielleicht 'lubrice' zu ändern. 4) 'alea' Hs.